

Causa 10,
Phæn.

& 11.

CONCLUSIO VIII. Quemadmodum porrò Phæn. X. ratio in ipsa ejus enarratione jam expressa est, cylindrorum puta aqueorum æquè altorum in bases cylindri Mercurialis æquales æquipollens pressio; sic undecimi sequentem assignamus procul dubio verissimam: Quoties experimentum hoc de vesicis inflatis primùm, dein exinanitis, ponderandis capere fert animus, toties vesicas, antequam inflentur, madefacere probè solemus, ut oris flatu tantò magis diduci extendique ac aëris tantò plus capere queant. Cùm verò ita sufficienter inflatas ligatasque aliàs plerumque per aliquam temporis moram adservâssemus, donec faciendi experimenti hora eas ita præparatas sibi deposceret, ut interea exficcati rursus abundè potuerint; hac vice accidit fortuitò, ut madidas adhuc probè statim post inflationem ad bilancem expenderemus: Et hæc unica fuit effectûs insperati & insoliti causa. Tametsi enim existimare quis possit, cùm idem pondus madoris habuissent aëre plenæ & inflatæ, quod habebant mox evacuatae & compressæ, debuisse etiam hoc casu unà cum aëre, quem inflatæ continebant, plus habere ponderis quàm compressæ postmodum absque illo aëre; non esse tamen validam hanc, etiamsi speciosam valdè, consequentiam, ita ostendimus: Notum est ponderosa cava, e. g. ollas & naviculas fictiles, cupreas &c. lacte quoque, vino, aquâ &c. ad summitatem ferè oppletas in aquis tamen natant ac minùs gravitare, quàm postmodum compressa ejusmodi vasa in angustum & solidos glomos, etiam sine liquoribus antea contentis, gravitare solent, utpote tunc mergi fundumque petere solita; cùm econtrà fitula lignea unà cum contento liquore similiter quidem natet, at profundius tamen mersa & plus gravitans, quàm compressæ in fasciculum ligneum arctiorem, liquore jam & cavitate omni destituta; quo casu super aquæ superficiem altiùs quàm in priore eminet. Quod si ergo vesicas multùm adhuc madidas ac exmadore ponderosas cum vasis cupreis, fictilibus &c. exficatas autem